





1776, 12.

Q V A E S T I O  
I V R I S C O N T R O V E R S I

A N

V E N D I T O P I G N O R E  
A C R E D I T O R E S E M P E R  
L I B E R E T V R D E B I T O R

Q V A M

I L L V S T R I S I C T O R V M O R D I N I S G R A T I A  
P R A E S I D E

D. C H R I S T I A N O H E N R. B R E V N I N G

P R O F E S S. P V B L I C. O R D I N A R. I V R. N A T. E T G E N T.  
E T S O C I E T A T. L I T E R A R. D V I S B V R G E N S.

S O C I O

I N A V D I T O R I O I V R I D I C O  
D I E X V I. M A R T. A N N O C I C I O C C L X X V I.

D E F E N D E T

A N T O N I U S A V G V S T V S E H R E N F R I E D D R E C H S L E R

K L E P I Z I G. M I S N I C.

---

L I P S I A E

E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A.







AN  
**VENDITO PIGNORE**  
A CREDITORE SEMPER  
LIBERETVR DEBITOR?

---

§. I.

**E**uanuit antiqua illa fides inter homines, quam **N V M A**  
**P O M P I L I V S** adeo suis ciuibis commendauerat, teste  
**D I O N Y S . H A L I C A R N . II . p . 134 .** iubens, **V T F I D E I**  
**N V M E N C O L E R E N T .** Eo ventum est, ut homo homini  
vix fidem habeat, nisi accessoriam dederit simul securitatem.  
Hinc antiquitas in iure Romano inuenit contractum fiduciae,  
pignoris, stipulationes aliasque cautions, per quas securum  
redderet, qui de alterius fide seruanda dubitabat. Mitti-  
mus satisdationes reliquiasque cautions, tantum de pignore  
quaedam praemittamus, quo dein datam quaestionem recte  
decidamus.

\* 2

§. II.



## §. II.

Duplex erat contractus pignoris, per quem creditoris securitas dabatur, videlicet *contractus fiduciae*, atque *pignoris* in specie talis. Contractus fiduciae pignus constituebat creditori, interueniente mancipatione aut cessione in iure, ita, soluto debito vel pignus ut remancipetur, vel retro cedatur, si vero debitor obligationi de soluendo haud faceret satis, creditori pleno iure committatur. Videtur hoc contractu pignoris dominium translatum in creditorem, at non absolute, sed ad eam conditionem de remancipando. Coniici potest ex PAVLI Recept. Sentent. L. II. Tit. XIII. §. 3. ad quem locum videndus C VIACIVS ER SCHVLTINGIVS in Not. n. 13. et 14. Sed non videatur huius contractus fuisse amplius usus Iustinianeo seculo, quod de eo nulla in Digestis mentio.

## §. III.

Alter est contractus pignoris in specie talis, qua res in securitatem creditori possidenda dabatur, ea statuta obligatione, ut soluto debito creditor rem pignoris nomine possessam redderet, qui fuerat debitor. In hoc contractu dominium in creditorem plane non transbit, ut apparet ex FLORENTINO in L. 35. §. vlt. π. de pign. act. in qua Iureconsultus scribit: *Pignus manente PROPRIETATE debitoris, solam POSSESSIONEM transfert ad creditorem.* Cum vero creditor oppignoratam rem possideret, non videbatur opus esse actione aliqua ad vindicandam a tertio possessore rem oppignoratam, quare et olim ad persequendum pignus actio prodita non erat aduersus tertium possessorem, donec Praetor hypothecariam illam formulam inuenisset. Secus vero in contractu fiduciae, quippe creditor dominus rem ex hoc contractu mancipataam vindicare poterat a tertio possessore.

## §. IV.

## §. IV.

At, si iusto tempore solutio a debitore facta non erat, cum in crediti securitatem pignus creditor i datum esset, non quidem ipse acquirebat pignus, nisi ex pacto contractui adiecto addictionis in diem, ut creditor iusto pretio venditum habeatur, cuius pacti mentio fit apud MARCIANVM in L. 26. §. ult. π. de pign. et hypoth. in quo capite ICtus notat, videri quodammodo conditionalē esse venditionem. Sed ipse creditor tamen tunc alienandi obtinebat facultatem iusto pretio. Diximus non acquirere oppignoratam rem creditorem non soluto debito. Hinc, si creditor venderet, non suo distracthebat nomine, sed debitoris potius procurator existebat, ut patet ex §. 2. I. quib. alienar. licet vel non: Vnica tamen est species, in qua creditor pignus acquirit eique addicitur, quam habet IVSTINIANVS in L. 3. C. de iur. dom. impetr.

## §. V.

Ea vero ipsa facultas creditori competens, vi cuius op-pignoratam rem alienare potest, efficit, ut datio in pignus species alienationis habeatur. Facit in hanc rem Constitutio IVSTINIANI in L. 7. C. de reb. alien. non alienand. Sancimus: siue lex alienationem inhibuerit, siue testator hoc fecerit, siue pactio contrahentium hoc admiserit: non solum dominii alienationem, vel mancipiorum manumissionem esse prohibendam, sed etiam ususfructus dationem, vel hypothecam vel pignoris nexum penitus prohiberi.

## §. VI.

Iam ad speciem nostram. Creditor pignoratius, cui debitor non, ut obligatus erat, satisfecit, siue quod dies solutioni praefinitus iam praeterierat, siue quod interpellatus fuerat, ut moram contraheret debitor, siue iustie denunciations, ubi necesse fuerant seruatae, siue post iudicatum ad soluendum obligatus non soluerat, vendit demum pignus

iusto pretio. Quaeritur, an liberetur debitor? Sed distinctus videtur haec quaestio tractanda. Recte adfirmabitur, debitorem esse liberatum, distracto a creditore pignore, si et iusto pretio pignus venditum suumque ex pretio consecutus creditor. Cum enim in creditoris securitatem pignus datum sit, ut ex eo ipsis satisfiat, non est dubitandum, debitorem esse liberatum, quippe creditor ex pretio pignoris suum consecutus erat. Quapropter et ipse creditor, si plus est in pretio, quam in debito, debitor superfluum capiet, ut recte monet P A V L V S in L. 7. n. de pign. act. Si tardius superfluum restituit creditor id, quod apud eum depositum est: ex mora etiam usururas debitori hoc nomine praeflare cogendus est.

### §. VII.

At vero si ex aduerso creditor oppignoratam rem iuste vendiderat, sed ex pretio pignoris venditi, tantum, quantum debebat debitor, consecutus non erat, an et tunc liberetur debitor. Putem, ex accessoria obligatione non posse ad principalem concludi. Accepert pignus quidem creditor in crediti securitatem: at alia est pignoris obligatio, alia crediti. Quapropter vtique si suum consecutus creditor non est, manet debitor obligatus ad soluendum, quod ahhuc creditori deest. Rescripsit in hanc sententiam Imp. ALEXANDER in L. 3. C. de distract. pign. Luciano: *Hypothesis vel pignoribus a creditoribus venundatis, in id, quod deest, ad verfus reum vel fideiussorem eius actio competit.* Et in eandem sententiam extat Rescriptum DIOCLETIANI et MAXIMIANI in L. 9. C. eod. Verba sunt: *Quae specialiter vobis obligata sunt, debitoribus detrectantibus solutionem bona fide debitis et solenniter vendere.* Ita enim apparebit, an ex pretio pignoris debito satisfieri possit. *Quod si quid deerit: non prohibemini cetera etiam bona iure conuentionis consequi.*

### §. VIII.



## §. VIII.

Diximus antea liberari debitorem, si ex pretio suum creditor consequitur, quod ei debetur. Iam vero si demus: venditum fuisse pignus tanto pretio, ut omnino debito ex pretio satisficeri possit, at ab emtore pretium emtionis creditorem haud posse consequi: an nihilominus liberetur debitor? Facile patet, negatiuam sententiam approbandam, quod creditor suum vere consecutus non sit, modo nulla tribui possit creditor vendenti culpa. Quapropter si sciens creditor homini vendidit, quem scit, non esse soluendo, imo nunquam se ab eo pretium consecuturum, omnino liberabitur debitor. Et ita etiam PAULVS in L. 9. π. de diffract. pign. indicauit: *Quaeſtum est, si creditor ab emtore pignoris pretium seruare non potuſſet, an debitor liberatus eſſet: putani, si nulla culpa imputari creditori poſſit, manere debitorem obligatum: quia ex neceſſitate facta venditio non liberat debitorem, niſi pecunia percepta.*

## §. IX.

Sed quid? Si creditor et debitor pac̄ti ſint inter ſe, vt vendito pignore, quanto etiam id fiat pretio minori, liberatus ſit debitor. Videndum eſt omnino, vtrum tale valeat paclum, et an, si validum ſit, debitor liberetur. Quod ad prius attinet, aut bona fide liberalique animo illud paclum pignori adieclum eſt: non dubito, quin valeat paclum. Sic enim concludo; Si valet paclum, vt amiflo pignore debitum expireret, cur non aequa valeat paclum, vt, si minus etiam pretium ſit consecutus creditor, debitum ſit expunctum. At vero paclum, vt amiflo pignore debitum expiret, valere, probat Rescriptum ALEXANDR in L. 6. C. de pignorat. action. Quae fortuitis caſib⁹ accident, cum praevideri non potuerint (in quibus etiam aggressura latronum eſt) nullo bonae fidei iudicio praeflantur. Et ideo creditor pignora, quae huiusmodi caſu in-

ter-



*terierint, praestare non compellitur: nec a petitione debiti submo-  
uetur, nisi inter contrahentes placuerit, ut AMISSIO PIGNO-  
RVM LIBERET DEBITOREM.* Concludo itaque et in  
supra proposita specie debitorem liberari, quippe fortis peri-  
culum in se suscepereat creditor. At si dolus sit in debitore,  
qui, cum sciens rem minoris in pignus dederat, atque, quam-  
uis soluendo sit, tamen haud soluat in eam causam, ut credi-  
tor damnum sentiat, non liberatur, potius non obstante pa-  
cto conueniri potest.

§. X.

Tandem contingere potest, ut debitor obaeratus mor-  
tuus heredes haud relinquat, bona vero relicta non sufficient  
creditori, qui distracto pignore suum non consequitur, an  
liberetur debitor. Et quamvis dici forsitan posset, cessare  
debiti vltioris exactionem, cum bona haud adsint, tamen  
debitor, qui amplius non extat, dici nequit liberatus, cum  
suum confecutus non sit creditor. Denique nihil diximus <sup>de</sup>  
hypotheca, seu Praetorio illo pacto, quod eundem cum pi-  
gnore finem habet, quamvis creditori res hypothecata non  
tradatur; tamen si rei hypothecatae venditio facta sit legiti-  
me, nulla et hic inter pignus et hypothecam in hac quaestio-  
ne erit differentia.



Leipzig, Diss., 1776 A-G



TA-706


aus 34 Steck bisher verku.

V D  
18



1776, 12.

B.I.G.



Q VAESTIO  
IVRIS CONTROVERSI  
AN  
VENDITO PIGNORE  
A CREDITORE SEMPER  
LIBERETVR DEBITOR  
Q V A M  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA  
P R A E S I D E  
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING  
PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.  
ET SOCIETAT. LITERAR. DVISBVRGENS.  
S O C I O  
I N A V D I T O R I O I V R I D I C O  
DIE XVI. MART. ANNO C I O I O C C L X X V I .  
D E F E N D E T  
ANTONIVS AVGVSTVS EHRENFRIED DRECHSLER  
KLEPIZIG. MISNIC.

LIPSIAE  
EX OFFICINA LANGENHEMIA.

